Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26400
Copyright: Admont, Benediktinerstift

que petenda sunt ut nemo perturbetur neque
contristetur in domo dei De ferramentis vel rebus
monasterii Cap. xxxii
Substantia monasterii
in ferramentis vel vestibus seu quibuslibet
rebus provideat abbas fratres de quorum vita
et moribus securus sit et eis singula ut uti-
le iudicaverit consignet custodienda atque re-
colligenda. Ex quibus abbas brevem teneat
ut dum sibi in ipsa assignata fratres vicis-
sim succedunt sciat quid dat aut quid recipit.
Si quis autem sordide aut neglegenter res monaste-
rii tractaverit corripiatur si non emendaverit
disciplinae regulari subiaceat. Si quid debeant mo-
nachi proprium habere Cap. xxxiii
Praecipue
hoc vitium radicitus amputandum est de
monasterio ne quis praesumat aliquid dare aut
accipere sine iussione abbatis. Neque aliquid habere
proprium nullam omnino rem neque codicem neque hab
tabulas neque graphium sed nihil omnino quippe
quibus nec corpora sua nec voluntates licet
habere in propria potestate. Omnia vero necessaria
a patre sperare monasterii nec quicquam liceat habere
quod abbas non dederit aut permiserit. Omnia que
omnium sint quia ut scriptum est, Erat illis omnia
quia nec quisquam suum aliquid dicat esse vel p